QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE MARTIS V. DECEMBRIS M. PETRO COLLIER DOCTORE MEDICO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An facultatum ac Spirituum par numerus?

EX promiſcuo quatuor elementorum concurſu, quæ materiam duntaxat cum refractis qualitatibus [in vnoquoque corpore ſimplici haud æquè intenſis] peractâ miſtione, formis planè exoleſcentibus aſſeruant, compoſita quæuis naturalia ortus ſui trahunt primordia: quorum alia ſunt ἔμψυχα, quædam vero ἄψυχα. In his nullo organorum apparatu inſtructis ſola φύσις gerit vicem τῆς ἐντελεχείας. In illis quæ partibus conſtant diſſimilaribus ἡ ψυχὴ tenet Imperium, à quâ ſolum triplici vegetante, ſentiente, & rationali, quatuor animatorum gradus vegetatiuus, ſenſitiuus, loco motiuus, & intellectiuus enaſcuntur. Hæc anima in vno viuente vnica, non alicuius partis modò, ſed totius viuentis actus eſt, rerum certè vitâ carentium energiâ longe nobilior, vtpote materiæ minus immerſus: ipſa autem ſummam cum eâ neceſſitudinem contrahit.

QVIDQVID enim res inanimæ poſſunt [vt metalla, & lapides] extra ſe videntur promere, quodque patiuntur illis extrinſecùs accidit. Ea vero quæ animam ſuarum facultatum primam originem ſortita ſunt [vt ſtirps, brutum, & homo] motu cientur interiore, & ab intimis ſui viſceribus manantes functiones exercent, quarum dignitas eò magis eluceſcit, quò principium vnde fluunt, à materiali contagione remotiùs abſcedit. Inde fit vt inter cæteras viuentium actiones, humanæ primariũ nobilitatis locũ obtineant, cum anima hominis ſit ἀσώματος, neq; quicquam elementaris redoleat: imo vel ex ipſis philoſophiæ decretis ἄφθαρτος, καὶ ἀθάνατος cẽſetur, atque adeo præſtantioris cõditionis, vegetatiuam & ſenſitiuam deterioris in nobis continet. Quæ quidẽ informans, non inhærens, quàuis tota in toto, & in quâlibet totius parte reſideat, [ſola enim quãtitatis eſt expers] pluribus tamẽ ad integrã corporis noſtri fabricã pertinẽtibus denegat eſſe, ijs potiſſimũ, quæ nomẽ partis propriè non meretur: cuiuſmodi ſunt quatuor humores, ſpiritus, lac, ſemẽ, vngues, pili, dentes, quæ nec animę nec vitæ beneficio participãt.

AB ipſâ hominis formâ ſecundum ſubſtantiam vnicâ, poteſtate multiplici, & ęqualis in quouis indiuiduo perfectionis, omnes compoſiti rationalis proficiſcuntur δυνάμεις: quæ partim corporeæ, partim ſpiritales, nedum ab inuicem, ſed ab eâ etiam reapsè differunt, cum ad illarum productionem efficaciter concurrat. Spiritaliũ [intellectus ſcilicet & voluntatis] quę obiecta ſimul & organa reſpuunt corporea, formæ iſtius ſiue animę ſubſtantia ſubiectũ eſt. Organicarum autem gradum vegetandi & ſentiendi conſequentium, corpus ab animâ informatum factum eſt domicilium. Verum has omnes animę humanæ facultates ad tres præcipuas & communes reuocamus differentias, pro triplici functionum quas edunt genere, & ſubiectorum in quibus operantur varietate.

TRES ſiquidem cum ſint partes principes, quarum vſu & officio corpus ſubſiſtit, pariq; operationum numero totius eiuſdem adminiſtretur œconomia, cõpertum eſt animam [omniũ quæ illic exercentur opificẽ] partes eiuſmodi totidem facultatibus inſtruere, quæ congrua naturæ ſuæ munera perficiẽt, ſi laudabilis κατασκευὴ, & ad agendum accommodata illis adfuerit εὐκρασία, quamuis in ſuo eſſe à partis cui inſidet temperamento facultas omnino diſtinguatur. Naturalis vniuerſi corporis nutritioni addictæ & mãcipatę fons iecur habetur. Vitalis ſuo nectare viuifico totũ recreãtis, cor eſt principium. Vtraq; partim influit, partim inſita eſt. Animalis denique, vectore ſpiritu influens, necnon vim motricem & ſenſificam impertiens adſcribitur cerebro, quod etiam ſedes eſt trium principum animę facultatum, quę licet locis nequaquam diſcluſæ per totum cerebrum diuagentur, perfectiori tamen modo in vnâ parte, quam in aliâ vigent.

FACVLTAS igitur [vis quædam effectrix per quam forma proprias functiones exerit] cum ſit triplex nec agat per ſe ſola [impellit enim, ſed alterius interuentu] ternario inſtrumentorum genere vtatur neceſſum eſt, quibus quaſi vehiculis momentaneâ celeritate corpus omne traijciat: huic idcirco ſpiritus trifariam diuiſus, ſubſtantiâ tenuiſſimus, pernicitate velox, & viribus admodum efficax ſubijcitur. Primus è iecore tanquam iugi de fonte promanans craſſior & vapori analogus, ductibus venarũ huc & illuc allabitur. Alius à corde per arterias emiſſus, aërem imitatur, intimoſq; receſſus citiſſimè peruadit. Poſtremus æthereus eſt, & in cerebri ventriculis gignitur, hincque per neruos profectus, partes ſenſus motuſque ſuſceptibiles irrigat. Sic tres illi ſpiritus ſpecie diſtincti, naturali, vitali, & animali facultatibus inſeruiunt, è quarum ſedibus per totum corporis habitum continenter defluentes perennem τοῦ συμφύτου exolutionem reſarciunt, hominemque in ſua integritate conſeruant.

Ergo facultatum ac ſpirituum par numerus.

Proponebat PETRVS BARON STEMPANVS Anno Domini. 1600.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Hieronymus Taquet	*M. Martinus Akakia Med. & prof. Reg.*	*M. Joannes le Moyne.*
M. Simon Bazin.	*M. Petrus Paulmier.*	*M. Marcus Myron Med. Reg.*
M. Nicolaus Pietre.	*M. Petrus Ponſon Med. & prof. Reg.*	*M. Petrus Laffillé Med. Reg.*